

THE COVENTRY PONTIFICAL

MS: Cambridge University Library, MS Ff.
6.9, fol. 85^r-86^r

*Ad benedicendum peregrinos.*¹ [E]xaudi nos omnipotens et misericors deus et iter famulorum tuorum propicius comitare atque sicut ubique es, ita ubique adesse dignare ut spaciis necessarii itineris prospero gressu peractis, universos reperiant sospites ac debitas tuo nomini exsolvant grates. Per.

Hic aspergatur aqua benedicta super eos, et postea: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos. Ego dixi domine.²

*Ps. Beati immaculati.*³

Uias suas dominus demonstret uobis.⁴ Utinam dirigantur vie vestre. Exsurge domine.⁵

Domine exaudi orationem meam.⁶ Dominus vobiscum.

*Sequitur oracio.*⁷ [D]eus infinite misericordie et maiestatis immense quem nec spacia locorum nec intervalla temporum ab hiis quos tueris abiungunt, adesto famulis tuis in te ubique confidentibus et per omnem quam ituri sunt viam dux eis et comes esse dignare. Nichil adversitatis noceat. Nichil difficultatis obsistat. Cuncta eis salubria sint, cuncta prospera et sub ope dextere tue quicquid iusto petierint desiderio celesti consequantur effectum. Per.

Benedictio pere et burdoni< s > oratio. [D]eus iniucte potencie et pietatis immense qui famulis tuis [Ms.: arma in te] arma uictoria tribuis, quesumus hanc peram et burdonem benedicere digneris, ut uenerande crucis vexillum cuius in eis est designata figura sit iniuctissimum robur serui tui. Contra omnia antiqui hostis temptamenta sit in uia defensio, in domo protectio, sit ubique presidium eundo et redeundo, ut cum tua gratia quo cupit perget et peracto itinere cum commoditate mentis et corporis ad propria reuerti mereatur. Per.

Dando peram dicatur: [A]ccipe hanc peram, habitum peregrinacionis tue, in nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Dando burdonem dicatur: [A]ccipe hunc burdonem, sustentationem itineris peregrinationis tue. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen. *Benedictio crucis dande ituris in sanctam terram vel ituris in aliam terram ad expugnandum inimicos crucis.* [R]ogamus te domine sancte pater omnipotens eterne deus ut benedicere digneris hoc signum tue crucis ut sit huic famulo tuo N. remedium singulare, soliditas fidei, perfectio operum, redemptio anime, protectio ac tutela contra seva omnium inimicorum iacula. Per.

Dando crucem dicitur. [S]uscipe signum sancte crucis in nomine ihesu christi qui passus est in cruce pro redemptione nostra in remissione< m > peccatorum tuorum, prestante eodem domino nostri ihesu christo qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus. Per.

¹³ Cf. Franz, *Die kirchlichen Benediktionen* 2.265, without interpolations.

¹ Cf. Franz, *Die kirchlichen Benediktionen* 2.264.

² Ps. 40.5.

³ Ps. 118.

⁴ Cf. Ps. 24.4.

⁵ Ps. 43.26.

⁶ Ps. 101.2.

⁷ Franz, *Die kirchlichen Benediktionen* 2.263-278.